

cere violente mortis; quod multo magis in casu nostro procedit, quia signa, quæ certius violentam mortem manibus, vel laqueo procuratam attestantur sensui ipsi conspicua esse possunt, & tria potissimum à Paræo, & Fortunato locis citatis adducuntur, nempe rugositas cutis, ipsius colli, Capitis, Asperæ Arteriæ dilaceratio, vel spondilium colli dislocatio, & spumosi sanguinis in Thorace collectio, hæc enim maxime distinguunt mortem per strangulationem ex vi externa, laqueo vel alia re procuratam à morte facta ex suffocatione à causa intrinseca, ut iidem DD. prosequuntur, quamquam, ut veritatem fateamur, ultimum illud signum collectionis sanguinis spumosi in Thorace, & pulmonibus crediderim magis ex communibus esse, quam ex partialioribus, sed quomodo docunque sese res habeat, cum nullo eorum signorum, quæ magis propria sunt ne per somnium quidem in casu nostro adnotatum sit, dicendum est, prædictum Antonium Statium om-

nino ex naturali morte, & per suffocationem ab intrinseca causa excitatum, & non alius periisse; Barbitonores autem illos falsò ex aquivocis, fallacissimis & communissimis signis contrarium pronuntiasse. Ad quod magis adminiculandum non minimum momenti habet, quod alii etiam similes casus eodem tempore, & in eodem loco, ubi Antonius prædictus mortuus est, evenerint; immo cum iidem casus extra prædictum locum Monticelli, ut hic in Vrbe non solum hoc præfenti anno, sed etiam præteritis conspecti sint ejusdem generis mortis, facile hinc inferri potest, causam aliquam naturalem communem ab Aëre extrinseco irrepisse, ex qua non solum prædictum Antonius, & alii quidam juvenes eodem tempore, & eodem loco, & alii alibi similiter ex eodem morbo & mortis genere, & cum iidem profus symptomatibus occubuerint.

## CONSILIVM XX,

Eidem D. Petro Castello.

## ARGUMENTUM.

Construxerant Reverendi Monaci Cistercienses Mediolani propè Ecclesiam S. Ambrosii murum quemdam, veteri, qui minus ad rem faciebat, demolito. Contendebant autem ejusdem Ecclesiæ Canonici, novum murum esse demolendum, & apud Iudices, ut demoliretur, instabant, ac inter ea, quæ opponebant illud præcipuum erat, novum hunc murum solis illustrationem, & ventorum perflatum Ecclesiæ impedire, unde ejusdem Ecclesiæ Aër multo minus quam ante muri constructionem esset, salubris redderetur; quæ licet minus afficerent, tamen non reliquerunt Monaci canonicorum objectionibus respondere, ut in sequentibus habetur.

## SUMMARIUM.

1. Aëris bonitas ab Orientis Solis illustratione maxime dependet.
2. Aër cum in quiete est non minus quam aqua, quæ motu privatur, putrescit.
3. Morbi ex Aëris vitio excitati sunt omnium perniciosissimi.
4. Venti Orientales cæteris minus salubres, Austrinis exceptis.
5. Quanto minor est distantia inter unum Edificium & aliud, tanto majus incommodum ab uno in aliud emanat, tam quoad Solis illustrationem, quam quoad ventorum perflatum.
6. Aër colatus quis dicatur.

Vo sunt, ex quibus maxime DD. Canonici S. Ambrosii Majoris Mediolanensis propriæ Ecclesiæ salubritatem per novum parietem à Reverendis Monacis Cisterciensibus ejusdem Ecclesiæ constructum deteriorari, ac cum effectu diminui contendunt. Primum est impedimentum ab hoc novo parietate proveniens, ne Ecclesia ex Orientis Solis radiis illustretur, unde Aërem inibi ossulcatum, crassum, atque impurum relinqui necesse sit; neque absque multa ratione videntur Canonici de ea re timere, cum omnis ipsius Aëris bonitas ab ipsius Solis illustratione in ipso ortu dependeat: oriens enim Sol non modo ipsum aërem magis purum, ac magis tenuem reddit, sed ipsas etiam aquas Aëre

multo impuriore, & crassiores. Hippocr. in lib. de Aër. ag. & loc. part. 8. Consequens ergo est, quod si novus paries hanc Solis illustrationem impedit, omnis ipsius Aëris bonitas evanescat; Alterum, de quo timent Canonici, est, quod idem murus eandem Ecclesiam à ventis minus perslabilem reddat, unde consequenter eandem Aërem quasi emortuum in continua quiete permanere contingat, ex quo dubium esse non potest, quin minus in Ecclesia commorantes minori Aëris salubritate in posterum sint gavissuri, quia Aër cum in quiete est non minus putrescit, quam Aqua, quæ omni motu careat. Galen. apud Orisab. lib. 9. Collect. & ad ipsum Aërem à putredine conservandum nihil magis conducit, quam ventorum perflatio. Avic. 2. p. de str. 2. cap. 8. Itaque si Aër præfata Ecclesiæ ex novi muri constructione ex perflatione privetur, certe facillime putrescat, putrescens autem promptissime iis, qui in eo commorantur, noxam suam communicabit, morboque non minime considerationis, sed graves & perniciosos excitabit, cum morbi ex Aëris vitio progeniti sint omnium perniciosissimi, ut quotidie experientia docet, & ipsa Pestis præ omnibus commonstrat, & facit Hippocr. in lib. de Humorib. part. 7. & alibi. quomobrem videntur maxima cum ratione Canonici de Aëris insalubritate & sibi & aliis in Ecclesia commorantibus timere, cum duplex adit timoris causa, magni quidem, & non temere aspernandi momenti.

Venerimenimvero licet superfluum sit tam exquisitam

fitam Aëris salubritatem in Ecclesia affectare, cum Ecclesia pro domicilio esse non debeat, neque in ea diuturna mora fieri soleat, & alia ex parte prædicta S. Ambrosii Majoris Ecclesia tam ampla sit, ut nulla necessitas cogat in eam intrantes potius in parte magis suspecta, quam in alia quavis moram trahere, tamen, ut inanis hic Canonicorum timor insalubritatis, provenientis ex novi parietis constructione, omnino diluatur, demonstrandum concludenter est, neque ex uno, neque ex alio capite Aërem prædictæ Ecclesiæ reddi ulla ratione ex ea parietis novi constructione insalubriorem.

Nam quoad primum caput, patet novum murum, de quo lis est, non posse ullo modo impedire Ecclesiæ illustrationem ab oriente sole, quia si totum cæli tractum in quatuor partes per puncta cardinalia dividamus, apparebit per totum orientem ab Æquinoctio verno ad solstitium hyemale, Solem spectum habere aditum ad Ecclesiam illustrandam; novus enim murus protenditur ab ultima Orientis parte, nempe ab ea, in qua Sol oritur in solstitio hyemali ad Meridiem, & tamen etiam si ad totum orientalem tractum coextenderetur, neque sic impedire posset, quin Ecclesia ab Orientis Solis radiis vel illico ab ortu, vel dimidia, aut ad summum integræ hora transacta illustraretur, quia & multum ab Ecclesia distat, & humilior multo est muro Ecclesiæ, in quo etiam plures fenestras sunt, per quas Oriens Sol illico, & nulla interposita mora eam illustrat.

Quoad secundum, patet etiam, novum murum non posse impedire ullius venti accessum, neque reddere aërem Ecclesiæ minus perslabilem, quia cum in quarta Orientali salubriores venti sint spirantes ab ea parte, ubi Sol in Æquinoctio Verno, & solstitio Æstivo vagatur, certe hi minime omnium à novi parietis constructione impediuntur, cum ab ea parte maxime post demolitionem muri vetustioris ob constructionem muri, de quo lis est, nullum adit impedimentum, & novum murum ad eam partem se non coextendere pateat, ut supra dixi, dato autem, non concessio tamen, quod novus murus aliquo modo ventorum accessum impediret, maxime impediret Eum, qui cum à parte Orientali versus Meridiem contra Corum Zephyri collateralem moveatur, cæteris insalubrior est, immo in universum venti Orientales minus salubres cæteris existimantur, Austrinis exceptis, seu Meridionalibus. Et de Septentrionalibus quidem non est dubium, quod sint orientales salubriores, ut ex Hippocr. in lib. de Aër. Ag. & Loc. & cæteri omnes Medici, ac Philosophi fatentur. De Occidentalibus autem inter quamplures Medicos testis est Aëtius lib. 3. cap. 163. qui Orientales facile morbos parere dixit, cum vehementissimi sint. contra autem Occidentales salubriores, unde Zephyrus, qui est Occidentalium omnium Coriphæus, dicitur à Plinio lib. 16. cap. 25. genialis mundi spiritus; itaque recte à Lucretio lib. 1. de rer. nat. dictum est;

Et referat a viget genitabilis aura Favoni.

Ergo novus murus aut nullum obstaculum affert ventorum perflatum, quin minus aërem Ecclesiæ perslabilem possint, aut si aliquo modo impedit, quod non concedimus, potius majori salubritati confert, quam fecus impediendo ventorum insalubrium ac-

cessum, ex quo aër maxime inficitur. Cum his autem omnibus considerandam sese offert distantia intercedens inter novum parietem, & parietem Ecclesiæ, quæ cum sit palmorum sexaginta, non videtur posse desiderari major inter duo ædificia publica; quod si tanta distantia quicquam impedimenti præbere potest aut solis illustrationi, aut ventorum perflatibus, aut utrisque simul, ita ut Ecclesiæ nocimento sit, multo magis me hercle obesse poterit minor inter ædificia quæcumque quarumcunque civitatum; nam hic Romæ cum tam multa ædificia, & illa quidem amplissima videamus, vix dimidium tantæ distantia illa inter se habere conspicimus, & tamen unum alteri impedimento neque est, neque esse potest, nec lis unquam ulla ob id orta videtur, nisi major angustia, & quasi imminetia unius ædificii alteri, aut aliud quid fuerit in causa, tunc enim, nimirum quando distantia inter unum & aliud, est modica jure timeri potest de aliquo incommodo, quod tanto majus esse solet, tam circa solis illustrationem, quam circa ventorum perflatum, quanto minor inter ipsa distantia est, ut latius probavi alias lib. 5. Quest. Medico-Leg. quest. 6. num. 7.

Ex quibus clarissime patet ambientem Aërem inter dictam Ecclesiam, & novum murum, non posse dici, ut adversarii volunt, colatum, quemadmodum vulgo loquuntur; quia Aer Colatus tunc vere dicitur, cum veluti in puteo quodam inter magnorum ædificiorum angustias, aut sublimiorum murorum undique includitur, ita ut neque à sole illustretur, neque à ventis perflatur, unde & crassus, & obscurus remanet, in perpetuaque quiete, atque inde gravis evadit, & insaluberrimus, adeo ut etiam non longa mora in ipso trahatur, & per modicum tempus respiretur, illico suam malignitatem prodat, ut percurrit Galen. apud Orisab. lib. 9. Collect. cap. 1. Habemus præterea ex prædictis, Aërem intercedentem inter novum parietem & Ecclesiam, à ventis salubribus perslabi, & à sole illustrari, ergo colatus dici non potest; præterquam quod novus murus recte ad murum Ecclesiæ coextenditur, neque sua flexibilitate, aut tortuositate in causa esse potest, ut hoc spatium, quod est inter ipsum & Ecclesiam, male à sole Oriente illustretur, qui quasi oblique incidens, minus possit exhalationes pravas depurare, unde Aer ex hoc magis crassus, & perspiratu difficilior reddatur, neque alia incommoda affert, quæ flexuosas vias, ac distortas afferre commemorat Orisab. lib. 9. cit. cap. 2.

Addo his, quod cum Reverendi Monaci veterem murum demoliti sint, qui novo erat multo elatior, certe hic novus non solum Ecclesiæ magis quam vetus non nocet, sed immo multo minus, si quid noceret alteruter, nocet: nam etiam si vetustior per decem, & octo palmos magis ab Ecclesia distet, quam novus, tamen propter majorem, quam habet altitudinem magis obesse potest Ecclesiæ, quam novus; itaque non modo DD. Canonici ægre ferre non debent novi muri constructionem, si vetustior sit demolitus, sed potius libenter admittere tantum Ecclesiæ magis proficiam; nam ultra hæc veteris murus habebat positum ex Orientali parte, & sic poterat magis Orientis Solis illustrationem impedire.

## CONSILIVM XXI.

Eidem D. Petro Castello.

## ARGVMENTVM.

Theſaurarius Eccleſiæ Giennenſis expoſuerat Sanctiſſimo in quadam ſupplicatione ei porrecta, ſe nonnullos graves morbos pati, ac ſignanter capitis dolorem quendam acerbiffimum, ac talem ut eum impediret à quouis officio exercendo ſuæ dignitati convenienti; unde cogi ſe dicebat ad expoſtulandum Coadjutorem, cum nulla illi ſpes remaneret ſanitati recuperandæ. Hanc Theſaurarii petitionem impugnavit Promotor Fiſcalis, & gratiam obtentam, eo quod eſſet ſurrepticia, nullam eſſe volebat. Fundabat autem ſe præcipue in hoc, quod Theſaurarius non probaverat per ulla certa ſigna, ſe pati expoſitum dolorem, contra Theſaurario volente dolorem per hæc ſigna dignoſci non poſſe, & idcirco ſuæ aſſertioni, & Medicorum fidei eſſe ſtandum. Quæritum ergo eſt, an prædictus dolor potuerit ex ſignis externis comprehendi, ita ut Theſaurarius debuerit probare ſe pati hunc dolorem per Teſtes idoneos; An potius ſtandum fuerit ipſi ſoli aſſertioni, ut ipſe prætendebat.

## SVMMARIVM.

- 1 Non ſufficit levis morbus ad obtinendum coadjutorem.
- 2 Levis morbus non eſt dignus nomine morbi.
- 3 Coadjutor quibus perſonis dari debeat.
- 4 Magni capitis dolores magni ac gravibus morbis adnumerantur.
- 5 Magnorum morborum maxime conſpicua ſigna apparent.
- 6 Magni morbi ſupponunt magnas cauſas.
- 7 Magnus morbus magnum reſeſſum à naturali ſtatu ſignificat.
- 8 Magnæ cauſæ magnos morbos faciunt.
- 9 Vbi ex nullis ſignis apparet adeſſe cauſa doloris, dolorem abeſſe conſeſſendum eſt.
- 10 Ad partes principes affectus plura & conſpicua ſigna conſequentur.
- 11 Medica experientia ſufficientiſſima eſt aliquibus conſeſſuris ad veri doloris cognitionem aſſequentiam.
- 12 Simulati doloris optima conſeſſura.
- 13 Ad obtinendum Coadjutorem non ſufficit unum impedimentum, ſi plura adeſſe in ſupplicatione ſi expoſita.

In hoc dubio diſcutiendo, primum hoc fundamentum ob oculos habendum cenſeo, ab ipſis Iureconſultis deſumptum, quod non ſufficiat levis morbus ad hoc, ut alicui Coadjutor dari debeat, etiamſi perpetuus eſſet, quia levis morbus non impedit hominem, quin poſſit actiones ſuas exercere, ut pro I. *Quæſitum. ff. de re Ind. & per Galenum ex noſtris in lib. de Conſtit. Act. cap. 19. in I. agog. immo* levis morbus non eſt dignus nomine morbi. Argumento I. *prim. §. ſed ſciend. ff. de Edil. Ed. & in terminis noſtris loquitur ex noſtris Galen. ubi ſupra,* quo loco parvum capitis dolorem dicebat non eſſe ægritudinem. requiritur ergo in hoc caſu, ut morbus ſit ultra mediocritatem, imo talis, ut corpus aggravet abſque ſpe futuræ proſperitatis. Rice. *Collet. Decif. p. 3. Colletar. 484.* nam coadjutor datur his, qui vel ſenectute, vel valetudine corporis perpetua ita gravantur, & impediuntur, ut non poſſint officium ſuum exercere. ita ad verbum habetur in c.

*unico de Cler. Agor. in 6.* In præſenti igitur caſu ad hoc ut Theſaurarius obtinere poſſet coadjutorem, dolor capitis debuit eſſe magnus, acerbus, intolerabilis, ac denique talis, qui impediret adminiſtrationem officii, ſaltem cum exacerbatione patiebatur, dummodo eſſent frequentes, & tunc poterat cum veritate dicere, ſe pati magnum morbum, quia huiusmodi capitis dolores gravibus & magnis morbis adnumerat Galen. *lib. 2. de ſan. tuen. cap. 12. Stante* igitur hoc fundamento, quod hic dolor capitis, quo aſſiſi ſe expoſuit Sanctiſſ. Theſaurarius Giennenſis debuerit eſſe magnus, ego hanc concluſionem firmo, quod potuerit & debuerit ex quamplurimis ſignis non Medico ſolum, ſed cuiſcunque innoteſcere, ita ut potuerit, ac debuerit per idoneos Teſtes illum concluſionem probare:

Primo, quia magnorum morborum magna & maxime conſpicua ſigna apparent, cum ſymptomata magna ex morbi magnitudine pullent. Galen. *lib. 2. de ſymptom. cauſ. cap. 2. & alibi,* quod etiam declaratur exemplo acutorum morborum, qui cum & ipſi magi morbi ſunt, magnam etiam notiſſimam ob multa & evidentiſſima ſigna quæ ſecum afferunt, de ſe præbent; Vnde eſt, quod etiam in ipſo principio, quando nimirum morbi minus ſunt cognoscibiles, facile cognoscuntur non modo à Medicis, ſed ab ipſis quoque idiotis hominibus, ut apertiffime habemus ex eod. Gal. *lib. 1. de Diab. Decret. cap. 6.*

Secundo, quia magni morbi ſupponunt magnas cauſas, effectus enim ſuæ cauſæ æquivalens ſit oporteat, quamobrem magnus morbus magnum reſeſſum à naturali ſtatu demonſtrat Galen. *lib. 1. de ſymptom. cauſ. cap. 2.* At magna cauſæ latere ob earum magnitudinem non poſſunt, hic ergo vel aderat intemperies cauſans dolorem, quod non credo, & cum eſſet magna, vel ipſi ſenſui tactus, poterat eſſe conſpicua, ut quia caput præter modum calidum, aut frigidum perſentiretur, aut aderat multa materiæ copia, & impoſſibile erat, ne ſimul maximam de ſe ſignificationem præberet per aliquas excretiones, per nares, aut per os, aut per oculos, aut per urinam factas, aut aliter, & per mille alia ſigna maniſeſtiſſima. Cognito ergo in capite eſſe magnam cauſam, quæ dolorem faceret, concluſionem à quouis firmari poterat, Theſaurarium pati magnum

gnum capitis dolorem, quia magnæ cauſæ magnos morbos faciunt. *Vallef. comm. 3. tit. 3. Epid. tex. 2. & comm. 2. in 6. ejusd. tex. 28. & poſita cauſa, & diſpoſitionibus requiſitis, tam ex parte agentis, quam patientis, ponitur effectus, ut notum Philoſophus eſt, & notat ex Iureconſultis Tiraq. in traſſ. 9 ceſſan. cauſ. limit. 20. num. 1. & contra, ubi ex nullis ſignis apparet adeſſe cauſam doloris, dolorem abeſſe credendum eſt.*

Tertio, quia pars, quæ morbum patiebatur, erat pars princeps trahens in conſenſum totum corpus, cum omnes partes corporis cæteræ etiam principes ad capitis uſum referantur, ut demonſtrant Medici *Fernel. lib. 1. Phyſiol. cap. 6.* ad partes autem principes male affectas notiſſimum eſt ſigna plura & conſpicua, ac multa, & evidentiſſima ſymptomata apparere, quæ ſi non apparent, morbus non debet dici magnus, neque impedit omnino humanas actiones.

Quarto, his non obſtantibus licet concedamus non poſſe haberi ulla ſigna nec evidentiſſima, nec ſcientifica præſentis doloris capitis; tamen quis eſt, qui negare audeat, nos habere poſſe ſigna ſaltem conjecturalia? At ſi hæc ipſa fuerint magna, & multa, & ſimul, eodemque tempore appareant, procul omni dubio ſignis certis, & evidentiſſimis erunt comparanda, nam Medica experientia ſufficientiſſima eſt per aliquas conſeſſuras ad veri cognitionem aſſequentiam, præcipue ſi magnus ſit, ſi fortis (qualis ſupponitur in caſu noſtro) verba ſunt in lib. Gal. *morbi ſimul. ſi deprehend.*

Quinto, magni morbi, ac maxime magni dolores requirunt valida, ac generoſiſſima medicamenta, & ſic in hoc dolore capitis, quo Theſaurarius aſſiſgebatur, cum eſſet tam ſævus, tam pertinax, tam diuturnus, ut expoſuit, debetere conſtare de uſu ho-

rum medicamentorum, ut uſiones ſunt, ſeſiones, veſicantia, ſirapifini, decoſta exiccantia, & ſudorifica, Balnea, ſtillicidia, & mille alia efficaciora præſidia; de quorum tamen uſu nihil conſtat: nam Galenus in libel. jam cit. *Quor. morb. ſimul.* dicebat, *Æ. 12.* gros cum ſimilibus doloribus cum effectu vexantur, & non ſimulant, quodvis perpeti promptos eſſe; quod ſi renuant, aut auxilia non querant, neque admittant, ſignum eſt illos vel nullum pati dolorem, vel non magnum.

Dimittam nonnulla alia, quorum conſideratio ad Medicum pertinere non videtur, ut quod non conſtet de continuatione morbi, quia ex Teſtibus nullus eſt qui deponat illum vidiffe pluſquam bis, aut ter capitis dolore conſeſſatum, cum tamen, ut ex fundamento factò apparet, debuerit eſſe vel continuus, vel multum frequentior. imo Medicus qui illum curavit vix uno anno ejus curam geſſiſſe deponit, cum tamen jam abhinc octo annis eo morbo laborare ſe dicat. Quod etiamſi conſtaret de dolore capitis, non conſtat tamen de aliis inſirmitatibus, quibus aſſiſi ſe narraverat Theſaurarius in ſupplicatione Sanctiſſi. porrecta. At vero ad effectum obtinendi Coadjutorem non ſufficit probare unum impedimentum, ſi plura ſint expoſita. *Garzias de Benefic. par. 6. cap. 2. num. 195.*

Denique nulla adeſt probatio per Teſtes, quæ quicquam probat circa doloris eſſentiam, & magnitudinem; immo etiamſi adeſſet, nihil probaret; vel ipſo Theſaurario Teſte: nam vel ii Teſtes ſolum ex auditu, & relatione ipſius deponunt, & ſic nihil probant, vel deponunt ex certa ſcientia habita ex certis ſignis, & conſeſſuris, & ſic poterat evidenter cognosci ejus dolor, & per idoneos teſtes probari, quod non eſt præſtitum.

## CONSILIVM XXI.

Eidem D. Petro Castello.

## ARGUMENTUM.

Meſſana uxor Aurificis cum anno elapſo Monſtrum Aſininam formam repræſentans eſſet enixa, anno ſequenti aliud canina ſpecie peperit; Dubitari poterat de infami concubitu cum Brutis huiusmodi, & mulier ob id rea efficiebatur nefandi inceſtus; cum tamen alia ex parte plures Doctorem potius huiusmodi monſtra ex Imaginationis vi, aut ex mala uteri, vel potius feminum diſpoſitione nata exiſtarent. Hiſtoriam huiusmodi miſit ad me Peſtrus Caſtellus, cum imagine depicta ultimi foetus, & cum Epiftola ſequenti, ex qua habetur luculentior facti enarratio. Ut ergo ad graviſſimum hoc dubium respondeam, ante omnia ejuſdem Viri Clariffimi litteras ad me apponam, deinde ad dubium dicam quid ſentiam.

## SVMMARIVM.

- 1 Ex humano ſemine cum Britano commixto nulla ſuccedere poteſt generatio. *Contrarium num. ſeq.*
- 2 Nihil impedire poteſt, quo minus ex commixtione humani ſemini cum Britano, aliqua ſuccedat generatio, quæcumque illa ſit.
- 3 Monſtro naſcente commixta membra humana ac belluina habente, evidens iudicium eſt contra Rem.
- 4 Facultates omnes ac ſingula, in animali ſunt ad certam operationem, & non ad aliam deſtinatæ.

- 5 Imaginatio cum ſit facultas Animalis, non poteſt Formaticis, quæ eſt naturalis, operibus inſiſtere.
- 6 Imaginatio in prægnante dirigit potentiam formativam ad aliquam ſuo modo eſſeſſendam, ut communis fert opinio.
- 7 Cognitio duplex, ſcilia potentie cognoscentive, altera naturalis. *Falſum ibi.*
- 8 Operantur omnia quæ potentiam cognoscentivam non habent, ex mera Nature neceſſitate.
- 9 Facultates omnes indigent propriis instrumentis.
- 10 Imaginationis effectus circa ſortis formationem videtur potius imaginarij quam reales.

- 11 *Formatrix facultas ex quo incipit formare nunquam quiescit.*  
 12 *Nihil in principio conceptionis formatur, quod ex semine non sit.*  
 13 *Non videtur ab omni suspitione libera mulier, qua fetus edat Brutinam formam vel in toto, vel in parte referentes, & idcirco ad ulteriora procedendum, ut veritas habeatur.*

*Perillustri ac Excellentissimo D. D. PAVLO ZACCHIAE, Viro Clarissimo & amico Carissimo.*

Petrus Castellus Romanus, S. D.

Quæ mihi Monstra monstrasti, monstruose Zacchia, te monstrum demonstras, Monstrorum naturam, differentias, atque causas exactissime monstrasti; Animalia nempe eo quod præter Naturæ morem formata sint, monstrata digna; sed simul cum his te ejus libri Auctorem inter illustres viros librorum exaratorum monstrum patefecisti, ab omnibus nosci, & monstrari ob excellentiam dignum, seu monstrabilem, ut cum Plinio Nepote loquar. Porro quis quæso est inter Medicos, Philosophos, Legumve-peritos in Europa tota, qui Zacchiam non noscat, & noscens non monstret? utpote qui præternaturalia monstrando, præter naturam, seu potius supra Naturam scripserit seq; de ipso monstra tractando triumphaverit; Legem cum Medicina, cum Philosophia imperium, brevitatem cum claritate, claritatem cum gravitate, & cum familiaritate atque jucunditate majestatem conjuncti, unde mirabilem Te reddidisti, mi Zacchia, sed quorsum, dices; tantum monstritas attendas si me amas, paucis Te volo. Laudes tuæ, honor à Te ob præstatum opus acquisitum, Me quasi Tui invidum, reddiderunt amantem (alias quanti Te faciam Tu metipse optime nosti; inter cætera enim Roma Messanæ versus discedens in mei locum Te apud Eminentissimum ac Reverendissimum D. meum Clementissimum Cardinalem Bisciam conatus subsistueret, & assessoris intentum fuero, testatus neminem Te aptiorem inventurum) quapropter etiam de Monstris agendi non levis me incellit cupido; ac data facillime mihi fuit occasio, verum omnis prærepta facultas, cum exactissime de hac materia scribendo, non Me modo, sed alios quoscunque præoccupaveris. Quare aliud mihi restat nihil, nisi ut tuo volumini, quæ de Monstris à Te Romæ visis veluti oculatus testis confirmans, subscribam, omnia enim simul sæpe (quæ nostra erat juncta amicitia) vidimus, & consideravimus, & ne exordium tractationem excedat, proponam nuper à me ejudam Monstri observatam historiam ad tuum augendum volumen.

Anno præterito 1635, in festo S. Stephani 26. Decembris, hic Messanæ nobili in urbe, Aurificis uxori Monstrum canina specie peperit, quæ superiori anno alterum Asinatum præsentans formam pepererat: immo aliam nobiliorem foeminam tertio ab hinc anno Cyclopem audivi ab ipsis Messanensibus edidisse; quo constat non sine ratione ab Antiquis in Orinacria Cyclopes fuisse positos. Neque hi solum ibi giggi soleant, verum etiam multi fetus caudati, ut in Britannia etiam insula, sed equidem Ligures etiam vidi cum cauda natos, quam infantibus præcidunt: ad nostrum tamen Monstrum. Ipsi Pater mihi visus est triginta cir-

citer annos, corpore, facieque optime dispositis: Mater autem erat boni aspectus, & formæ, sed validæ, & intensæ Imaginationis, & maxime curiosa, Hæc è fenestra Asinum in via coëntem observans, ut ipsa rettulit, & intente intrens Aselli formam postea peperit. Proxime autem cum venirem cum Marito exerceret, & canis eam observaret, respiciens canem veluti mirandum Marito indicavit, se observari à Cane, cui respondit ille, quid ad Te canis est; mox utero gestans novem mensibus pluries latrantem in suis visceribus foetum audivit, quo se canem utero gestare viro suo aliquoties indicavit, tandemque monstruosum Canem, ut describam tibi, peperit, nec fecundas nisi decem post dies valde duras, & coriaceas reddidit, ac bene se habuit, & habet. Delatum ad me tertio ab ortu die cadaver occipite abrupto fuit. Dicebat Pater in exitu ab utero ipsam matrem caput traxisse, & idè abruptum fuisse. Sed equidem suspicor data opera compressum, eo quod monstrum. Forma ejus erat canina, & os sacrum valde latum, & planum apparebat, sed sine cauda. Pellis, seu potius cutis, sine pilis omnino, rubicunda & tenuissima humanam huc solam referens, caput autem, si formam, oculorumque positionem consideremus, potius Avi quam Cani assimilabitur, licet Aures sint caninæ, & dextra oblongior sinistra, sursum erecta. Pro naribus membrana quedam lata, & pendens apparebat, quæ excicata elevata remanet; os parvum, & rotundum, dentefque duos incisivos inferiores habebat; pedes vero anteriores caninos referebant, sed sine unguibus, posteriores autem mire monstruosos; quatuor enim fistulas oblongas, æqualibus & vacuis, sed offeis constabant, quorum aliqua in summo rotundum quoddam obturamentum sortita erant. Abdomen erat inflatum, & lividum; statim evisceravi, & cum omnia interanea putrida, foetidissimaque essent, ea attente considerare non potui. Renem solummodo sinistram valde magnum esse observavi, nec dextrum vidi. Haud curiose ob putredinem, & nauseabundum foetorem investigans; ita pariter neque sexum cognoscere valui, sed foemini potius videbatur. Longitudo Cadaveris à clavicula ad os Coccygis palmaris erat, & à capite ad extremum pedem lesqui palmaris erat mensura. Inde adhibita diligentia corpus sicavi, quod in meo Musæo integrum, & monstrabile servo. Hoc autem esse Monstrum, omninoque præter naturam, nullo enim pacto humanam imitatur formam; ex paterno maternoque humano genitum semine, nemo nunquam inficias ibit. At Matris validam imaginationem præstare constanter ipsa affirmat, nec parum ad Monstrorum generationem Imaginationem conducere, Jacobi experimentum circa pædum colorem docet, Vellem aliquid Tecum philosophari, sed vereor, ne sus Minervam, tacebo potius. Pini quo melius potui Monstrum ad eam magnitudinem, symmetriam, & formam, quomodo conservatur in meo Musæo gratum tibi futurum sperans, Vale.

Non tam admiratione dignam historiam literis tuis mihi enarrasti, Vir præstantissime, ac mei amantissime, quam mille dubiorum ambagibus implicatam, inter quæ tamen illud potissimum maximum facescit negotium, utrum suspicio aliqua irrepere possit, ne mulier hæc cum Brutis se commiscuerit, quod quia ad meam Quæstionum Medico-

dico-legalium complementum multum facere videtur, dicere non desistam; Ante tamen ad priorem tuæ Epistolæ partem responsum dabo. Scito itaque laudes, quibus tam profuse ex abundantia Animi affectu, & ex tua benigna in me propensione, me ipsum dignatus es cumulare, mihi eo quidem nomine fuisse gratissimas, quod à laudatissimo Viro proficiscantur, velim tamen meritis meis magis adequatas, ac proportionatas esse, quam sint; quomodocunque tamen sese res habeat, illud non diffiteor, Me tibi tum hac, tum multo majoribus ex causis tantum debere, ut ne in minima quidem parte me solvendo esse non invitum confitear; at si quæ mihi nunquam sese offeret occasio, ut ejus rei vel publicam, vel privatam aliquam attestacionem præbere possim, libentissime quidem eam arripiam, interim; Tu mei Te creditorem ascribe, dum ad propositam quæstionem pertractandam me accingo.

Plurimum controversum est, ut nosti, An ex semine humano cum brutino commixto ulla possit succedere generatio; plures quidem, ne omnes dicant, dissentire eo maxime nomine, quod unum de necessitate eorum disconvenientiam alterum corrumpet, cum humanum semen calorem contineat coelestem, brutinum vero longe ab ea perfectione distitum. Adde formarum ipsarum dissidentiam tam quoad pleraque alia, quam quoad corruptibilitatem & incorruptibilitatem; cum humana de foris adveniat, & immortalis sit, & incorruptibilis, Brutina de potentia materiæ educatur, sitque mortalis, & corruptibilis; cum igitur in semine utriusque generantis sit virtus formatrix dependens ab anima utriusque parentis, non potest una cum alia ita uniri, ut concorditer tanquam unum agens operentur; dicentur enim Animæ, & formæ misceri, si virtutes Animæ commiscerentur, sunt enim virtutes Animæ certe virtutes.

Relinquo quæ à posteriori deducuntur, & quæ prima fronte mirum in modum hujusmodi generationem videntur reddere impossibilem, ut est differentia gestacionis uteri, differentia adolescenti extra uterum, differentia alimentorum, & alia id genus, quæ tamen omnia unica responsione reselli possunt, dicendo, quod facerent singula difficultatem, quodcunque, id quod ex parentibus specie diversis generatur, retineret de necessitate utriusque parentis naturam, & non indueret propriam; at omnino evanescent ex eo, quia natum ex simili conjunctione tertiam quamdam naturam, ac sibi propriam, & peculiarem adipiscitur, requirentem tantam moram in utero, quanta sibi esset necessaria, auferendo ea ratione quæ sibi conveniret; & ea alimenta exposcendo, quæ suæ naturæ essent magis proportionata, absque eo quod à parentibus ullum eorum de necessitate obtineret, ut observamus in iis monstris evenire, quæ actu conspiciuntur ex parentibus non tantum specie, sed genere differentibus generari; nam quodcunque succedere debeat generatio, necessario fit perfectissima utriusque seminis commixtio, unde licet quod nascitur, habeat ab utriusque parentis semine dependentiam, non est tamen specie alterum ex parentibus, ac retinens omnino vel alterutrum, vel utriusque simul naturam, sed est tertium quid habens propriam, & individua naturam, quoad ea, quæ tam ad corporis formam, & ad propriam constitutionem, & vitam pertinent, quam ad ipsam intrinsecam formam non magis ab uno semi-

ne, quam ab alio educam, sed ab utroque simul commixto.

Sed data impossibilitate nascendi ex semine humano, & brutino simul concurrentibus ob id, quod primo dicebatur de formarum dissidentia, certe & hæc mulier, de qua agimus, & alia, si quæ hujusmodi monstra generantur, videntur tanquam infantes ab omni suspitione libera, quæ irrepere potuisset de infami earum cum Brutis concubitu, maxime cum alia afferantur hujusmodi generacionis Monstrorum causæ magis univèrsim acceptæ, ut est seminum vitium, & intemperies, & totius quoque sanguinis massæ non leve vitium, & fortis generantium imaginatio; non enim dubium est, quod semina male disposita, & sanguis sædus, ut nutrimentum his seminibus facefseas, possint maxime desciscens ab humana forma monstrum generare; sic & Imaginatio representando phantasmata hujus vel illius animalis, potest in causa esse, ut representato phantasmati similia monstra generentur.

Ego tamen alias in ea sententia fui, & nunc multo magis in eadem persisto, quod nihil impedire possit, quin minus ex commixtione Humani seminis cum Brutino aliqua succedere possit generatio; cujus rei autem, vel cujus animalis generatio succedere possit, non sic temere determinandum censui. Ex quo deduci facile potest, hanc Foeminam, & quæcumque aliam, quæ similia monstra generent, non esse ab omni suspitione liberam, & idcirco nefandi criminis reas suspensas fieri.

Licet enim ob quamplurimas condiciones, quæ concurrere debent, tam ex parte utriusque parentis, & utriusque seminis, quam ex parte conjunctionis carnalis, & seminum ejaculacionis, difficultillimum omnino semper judicaverim ex hujusmodi commixtione succedere posse aliquam generationem, non tamen ob hanc difficultatem ab affirmativa sententia me retraho, quia in semine humano considero materiam, vel considero illud ut materiam, & considero formam, vel ut animatum semen forma quidem de foris advenit, ita ut materia seminis absque ea forma saltem in ipsa commixtione seminum consistat; quatenus ergo ab ea forma est separatum, omnino existimo posse cum brutino semine misceri, & inde aliquam succedere posse generationem animalis, quodcunque illud sit, quale forte ab hac muliere jam secundo visum est generatum.

Non enim obstat quod dicitur de caloris differentia, & majori, vel minori perfectione; quia hoc non impedit, quo minus semina Humana & Brutina simul commixta possint aliquod animal generare, cum tantum differant secundum magis, & minus.

Ad probandum autem, quod diximus de suspitione commixtionis carnalis cum brutis, maxime faciet exclusio quarumcunque aliarum causarum, quæ ad hanc generationem concurrere aliquando creduntur, ac præcipue seminum, & sanguinis alimentalis vitium, & ipsa Imaginatio. Quo enim ad seminum & sanguinis vitium non potest in nostro casu considerari, cum uterque parentum boni habitus, & temperaturæ existant, ut narras, vitam sanam degant, victu utantur laudabili, & ætatem adhuc agant juvenilem præterquam quod nunquam ad tantum vitium utriusque parentis, aut alterutrum seminum, vel Matris sanguinem devenire credendum, ut tale monstrum generare valeant; nam potius cre-

dendum nullam omnino ex tali femine generationem fecuturam, & si ulla sequatur quod nullum vitium habeat, sed sanguini vitium inhæreat, fecutam generationem ad perfectionem non ituram; tamen enim Molas dicimus ex feminum vitio fieri (quas tamen ego ex solo femineo femine procreari censeo) tamen femina vitiosa posse perfectum animal generare (si à generatione hominis desciscere debeant) hoc ego nunquam admitterem.

Quoad Imaginationem autem, quam Tu ipse in hoc casu ac omnes pene docti, pro causa similium monstrorum admittis, mihi videtur omnino ab ea generatione excludenda, tum ob rationes alias à me adductas, tum ob iteratam monstri generationem ab hac muliere factam; non enim verisimile est effectum tam rarum, ac admirandum, & qui vix semel in mille annis conspici solet, tam brevi temporis spatio in uno individuo potuisse conspici, nisi causam magis ex sua natura aptam ad agendum, quam Imaginatio sit, assignemus ejus effectus. Sed libet denuo brevibus eas rationes, aut earum aliquas, quæ Imaginationem tanquam causam generationis Monstrorum excludunt, examinare.

Primo ergo, facultates omnes, ac singulæ in Animalibus, & in Homine maxime sunt ad certam operationem, & non ad aliam destinatae Fernel. lib. 5. Physiol. cap. 3. ut Concoctrix ad concoquendum, non ad expellendum, aut assimilandum, aut ad nutriendum, Retentrix ad retinendum non ad expellendum, Motrix ad movendum non ad ratiocinandum, Ratiocinatrici non ad concoquendum, aut ad sentiendum, visiva ad videndum, non ad audiendum, auditiva ad audiendum, non ad tangendum, & sic de singulis, ita ut neque ulla alterius operationem molitur, neque moliri ullo modo possit, nisi si sint ex famulantibus coadjuvando ejus operationem cui famulantur; quod in omnibus quidem maxime habet locum, sed in iis præcipue, quæ sunt inter se disparatae, ut Fernel. ubi supra, nec ullam convenientiam habent, inter se, ut facultates naturales, & Vitales, Vitales, & Animales, Animales, & Naturales, quæ nullam habent inter se convenientiam, ut Naturales inter se, Vitales inter se, & Animales inter se. Quemadmodum ergo Naturales facultates non possunt obire munera Vitalium, neque Vitales munera Animalium, sic neque Animales obire poterunt munera Naturalium, nec concurrere ullo modo in earum operationibus, unde cum Imaginatio facultas Animalis sit, non poterit concurrere in operationibus formatricis, quæ est facultas Naturalis, cum qua nullam habet convenientiam.

Contra quæ non valet dicere, quod Imaginatio nonnulla causat in fetu, & concurrat in operationibus formatricis dirigendo ipsam potentiam formatricem per species exemplares, ut dicit Thom. Fien. de Virib. Imag. quest. 14. concl. 45. & quest. 15. concl. 46. quia Imaginatio nullum habet imperium super formatricem, ita ut imperando ipsi formatrici faciat eam hoc, & non alio modo formare. Sed etiam si vel imperando, seu dirigendo hoc Imaginationem facere dicamus, necesse erit, ut formatrici sentiat imperium, & cognoscat directionem superioris facultatis, ut operari possit secundum species illas exemplares, per quas Imaginatrix eam dirigit ad operandum, & sic oportebit formatricem habere aliam potentiam ac virtutem cognitivam, juxta cujus cognitionem operetur, vel saltem

cognosceret per seipsam. Cui difficultari non facit distinctio prædicti Thomæ Fieni ibid. circa hanc cognitionem, quod nimirum duplex sit cognitio, una quæ vera est cognitio pertinet ad potentias cognoscitivas, alia quæ est cognitio naturalis, ut cognoscunt corporis animati partes, & ipsa plantæ, quæ per hanc cognitionem attrahunt ad se, quod sibi convenit, & expellunt etiam, in quam, quod disconvenit. Sufficere ergo dicit, quod cognoscantur species representatæ ab Imaginatione per hanc naturalem cognitionem, ab ipsa formatrici, ut juxta earum similitudinem operetur. Nam respondeo, quod præterquam quod gratis adducitur hæc cognitio naturalis, cum omnia, quæ naturaliter operantur non operentur per ullam cognitionem, sed ex necessitate Naturæ, admissa tamen hac naturali cognitione, hoc valeret in his, quæ sibi convenientia sunt ex sui natura, non autem in his, quæ non modo suæ naturæ non conveniunt, sed maxime disconveniunt, quia destruant operationes Naturæ. Ergo perverteteret omnino ipsa Natura, si cognoscendo quacunque cognitione formatrici facultas species alienas ab Imaginatione sibi præsentatas sui operis destructivas, tamen illas in sua operatione admitteret, cum contra repudiare, ac rejicere debeat, quia à Natura datum est, ut omnes partes, ac virtutes naturales expellant à se ea quæ sibi aliena sunt ac contraria.

Secundo, species à Phantasia formatrici representatæ vel interveniunt in ipsa membrorum, & animalis formatione ut materia, vel ut instrumentum ad ipsa membra, & ipsum Animal efformandum, non ut materia, quia in præsentatione phantasmatum, representantur naturæ rerum imagines, at in Monstris non solum imprimuntur rerum imagines, sed ipsæ membrorum substantiæ immutantur, ut patet. deinde non possunt hæc species inservire pro materia, cum sint mere spirituales; Quoniam pacto ergo species illæ in materiam factus abeunt? quomodo colorem induunt? quomodo coëxistentur ad corporis dimensionem? quomodo aliis corporeis qualitatibus vestiuntur? non poterant ergo hujusmodi species concurrere in formatione membrorum, & Animalis, ut materia. sed neque ut Instrumentum, quia instrumentum non communicat suam formam instrumentato. Deinde facultates singulæ indigent propriis instrumentis ad suas actiones obeundas. Gal. lib. 1. de Caus. Puls. cap. 4. & alibi: Fernel. lib. 5. Physiol. cap. 14. & alibi. Itaque hæc phantasmata, vel hæc species interveniunt in Instrumentum vel formatricis, vel imaginatricis. non formatricis, quia non sunt proprium formatricis instrumentum. neque Imaginatricis, quia tunc verum esset dicere, quod imaginatio formatricem, quod est omnino falsum, quia proprium instrumentum ad formandum non habet, alieno uti non potest, ergo nullo modo potest formare.

Tertio, si imaginatio aliquid cooperatur in formatione vel operatur sola, & per se, vel conjunctim cum formatrici, non sola, nam tunc formatricem, quod esse nullo modo potest, neque convertitur à quoquam; neque conjunctim quia sic daretur omnium confusio, si major foret virtus facultatis operantis per accidens, quam facultatis operantis ex vi naturæ; & posset facultas, quæ per accidens operatur formare pedem brutinum, ubi facultas, quæ ex vi naturæ operatur intenderet formare pedem humanum; at hoc non est dicendum, quia

quia Natura evitat confusionem. neque permittit unam facultatem obire munus alterius. Itaque imaginarios potius, quam reales puto effectus, quos nos tam facile imaginationi tribuimus, & habere potius alias suas naturales causas, ac magis proprias, ex quibus producantur.

Quarto, formatrici facultas ex quo incipit formare semper in operatione est, & nunquam quiescit. Galen. in lib. de fet. format. cap. 5. quomodo ergo Intellectui nostro adæquari potest, quod imaginatio, potentia nimirum, quæ de sua natura formare neque potest, neque novit, & quæ vel in instanti, vel saltem non longo tempore suum phantasma representando potest formatricem dirigere, ut tamen tale phantasma formet factum, potentior, ac fortior sit ipsa formatrici, quæ de sua natura format, & semper in operatione est? cur non libentius admittimus intellectivam ipsam potentiam, imo inquam ipsam voluntatem potius hominis magis dirigere posse formatricem, quam imaginationem? nam hæc quidem activæ sunt, imaginatio vero passiva potentia est, ac recipit tantum retinetque phantasmata à sensibus elicit.

Denique cum, ut contraria fert opinio, plerumque imaginatio imprimat suum phantasma in fetu in hora conceptionis, certum est non posse illud Phantasma nisi in femine recipi, nihil enim in principio conceptionis formatur, quod ex femine non

fit; oportet ergo tantummodo partes spermaticas ab eo Phantasmate per imaginationem alterari, cum è contra sanguineas potius alterari videamus, ut plurimum enim carnes, & musculosas partes immutari vidimus, & alienam formam induere.

Ex quibus, exclusis à causis horum monstrorum imaginatione, & seminum vitii, restat ut solum de seminum diversæ speciei commixtione suspicemur, unde hæc mulier, quæ Monstrum à Te descriptum tam diligenter peperit de nefando concubitu apud me suspecta est, & ad eliciendum ejus rei veritatem per hæc indicia ad ulteriora esset procedendum. Nisi in ejus defensionem dicamus primo, ad Regionis naturam esse referendam hujusmodi monstrorum generationem, nam Siciliam Insulam feracem esse talium monstrorum, Tu ipse fateris. Aut dicamus secundo, hunc partum fuisse ex Molarum genere, & quæ de latratu referebat mulier, imaginaria potius, & ex Timore sibi visus factus ille latrare. Ad cujus rei confirmationem faceret ea opinio, quæ convincit Molas ex solo femineo femine generari cum sanguinis confluxu ad uterum; potuit ergo fieri, ut mulier conspiciens Asinum coëntem, & canem in actu coitus semen proprium emiserit, ac conceperit, atque in tales monstruosos partus ediderit, licet hæc multa difficultate minime careant. Vale & me ama.

## CONSILIVM XXIII.

## ARGUMENTVM.

Aurelius Lingius per biennium diversimode à febriculis, aliisque morbis cum Articularum doloribus conflictatus, modo tantisper à morbo sese colligens, modo in illum relabens, tandem cum melius evasit per bimestre spatium sese haberet, in acutam febrem incidens vitam obierat. Ejus uxor Artemisia nomine se ex illo gravidam esse dicebat, ac ex mensibus à morte Mariti transactis, puerum peperit satis robustum. Mariti propinqui filium tanquam spiritum ab hereditate arce conabantur, & Artemisiam adulterii damnare ex eo quod Aurelius jam ab incunte ultima infirmitate impotens esset non tam ad generandum, quam etiam ad coëundum; immo per Medicos Testes probabant, Aurelium jam à multo tempore coactum à coitu abstinere, cum neque arigeret, quod iisdem Medicis idem. Aurelius fuerat confessus postquam ab infirmitate per plures menses fuisset excitatus Artemisia alia ex parte non inficiabatur Aurelium per longum tempus à Venere abstinuisse, sed illum per nonnullos menses ante obitum ad illam rediisse, seque carnaliter iterum, atque iterum cognovisse. Quæsitum est pro veritate an Aurelius cum prædicta infirmitate coire potuerit, & generare, atque in affirmativam sententiam veni ex iis, quæ mox subjungam.

## SVM MARIVM.

- 1 In anno Etatis sexagesimo virtus est vegeta in viris, & generare possunt.
- 2 Qui articularibus morbis, & maxime Arthritide conflictantur, ad venere viam de sum proclives.
- 3 Ad conceptionem non requiritur frequentatio coitus, immo enim congressu concipitur.
- 4 Vbi sensus viget, inanis est discussus.
- 5 Arthritici plurimi venere viam exercent, & fecundissimi senti.

Primo enim Aurelius erat ex sua natura salacissimus, & hoc plura signa attestabantur, inter quæ conspicuum erat præmaturum calvitium; nam & in juventute optimus, ac strenuus exstitit Ve-

neris miles, unde & uxores duas habuerat, præter concubinas, ex quibus omnibus filios susceperat, quod non controvertatur. ex quo patet non modo excludi in Aurelio naturalem impotentiam coëundi, & generandi, sed probari summam genitalium virtutem, & vigorem insignem; qui licet ex frequentia errorum patrorum potuerit remitti, & ex supervenientibus morbis pene deperdi, tamen ex eorundem errorum amotione potuit in pristinum statum redire, & à morbis, nisi summe frigiditatis fuissent, & calorem naturalem profus extinguentes, non facile potuit superari. Itaque cum Aurelius per plures menses à coitu abstinuerit, neque hujusmodi frigiditatis morbis, sed potius caliditatis fuerit conflictatus, non mirum est si calor naturalis denuo insurgens, illum ad consuetam feminis excretionem

tionem impulerit, flante præcipue quod ex eorundem morborum caliditate semen ipsum acrius evadere poterit, & eo pacto hominem magis magisque ad sui expulsiorem provocare.

Secundo Aurelii impotentia, ut patet ex dictis, erat accidentalis, & ex morbo contracta, erat ergo amovibilis, maxime cum ipse esset ætatis adhuc non præcipitata, non enim superabat sexagesimum, quæ quidem ætas adhuc vegeta est in pluribus, & ad pugnas venereas adhuc apta, & consequenter apta ad generationem; nam & in sexagesimo quinto etiam plurimos generare tradit Aristot. *lib. 5. de Hist. Anim. c. 14.* quod etiam experientia quotidiana confirmatur, ita ut ulteriori probatione non indigeat; licet ex adverso multum in ætate se fundaverint scribentes ex eo, quod gravis esset, & longo morbo, ac difficili associata; nobis tamen satis est, si simpliciter loquendo ætas non erat adeo gravis, ut coitus impotentiam inducere posset, nam de altera parte oppositionis, nempe quod ætas esset gravis ex eo, quod associata esset cum morbo gravi, & longo deinceps videndum. Interim patet Aurelium neque ex naturali ullo impedimento, neque per ætatem potuisse esse inhabilem ad coeundum; nam quod postmodum etiam generationi habilis esset non potest ulla intercedere difficultas, cum viri eoque generent, quousque coire possunt, quod longioribus prosequitur, Laur. Ioubert. *lib. 2. error. Popul. cap. 9.*

Tertio (& hoc non pertinet ad nos, sed dicitur ex abundant) Artemisia vivente adhuc Marito suspicabatur, se utro gerere, immo & maritum ipsum de ea suspicione pluries certior fecerat, quod etiam si ipsa sola deponat, verisimile tamen est, maritum ejus rei non fuisse ignarum: nam multa signa graviditatis in Artemisia apparebant, ac præcipue inappetentia non mediocri, vomitus, lassitudo, debilitas, & menstruorum retentio, immo etiam fructuum immaturorum summa aviditas, unde per familiares Testes, nempe duas famulas probatur, Maritum multoties, cum illam tam frequenter vomere conspiceret, illi objecisse, se dubitare, quod esset gravis, quamquam semper adderet, sed ego non credo; quod quidem ob longitudinem prægressæ infirmitatis, & adhuc perseverantis addebat, putans, se ex ea causa inhabilem esse ad generandum, alias autem non videtur, quod sic loqui debuisset, nempe, sed ego non credo, immo potius asseveranter affirmasset, sed hoc esse non potest; vel non dixisset, se dubitare de graviditate, non enim dubitamus de his, quæ esse non possunt, sed de his, quæ esse quidem possunt; quomodo enim Aurelius dubitasset de graviditate uxoris, si certus fuisset, illam à se non fuisse carnaliter cognitam jam per biennium? At si hoc fuisset, uxorem ut erat vir maxime Honoris Zelotypus, & illam odio illi eo habuisset, & forte occidere tentasset; at contra non modo illam usque in finem unice dilexit, sed si testamentum condidisset, in signe legatum erat illi relicta, ut pluries eidem Artemisiam, & cæteris familiaribus expressissimis verbis significaverat.

Quarto, Artemisia cum Marito semper in eodem lecto cubabat, sic marito volente, eratque femina protera, formæ summo opere laudabilis, ac multa sermone, & actionum venustate, ex quibus ab Aurelio mirum in modum adamabatur; unde non solum facile fuit per tantum temporis spatium, nempe, duorum annorum, semel atque iterum veneris

stimulos illam sensit, sed impossibile fere est non insigniter sensit; nam & ipsemet Aurelius cum familiaribus Medicis fassus non semel est, se Artemisiam plurimum adamare, & appetere cum ea conjugii, se tamen esse tunc impotentem; at perseverante Amoris stimulo, & presentia mulieris amata, & perpetua cubandi occasione in eodem lecto, blanditiisque ipsius Artemisiam, quæ Amoris artibus ultra pulchritudinem erat maxime idonea, omnino pro impossibili judicandum, quod illum ad coitum non excitaverit, etiam si multo pejus ex morbo habuisset, quam de presenti haberet. hæc enim omnia, Amor, pulchritudo, venustas, morum suavitas, blanditiæ, occasio & id genus alia, non Aurelium tantum, sed lapideum vel præmortuum hominem ad Venerem excitasset.

Quinto, & hoc quidem satis ad rem facit, qui articularibus morbis, & Arthritide præcipue conflantur, maximo opere ad venerem proitari solent, non quidem simpliciter ex morbi natura, sed plerumque ex caliditate defluxionum ad infernas partes per lumbos & Renes, nec non etiam ob nervosorum partium intentionem, quibus adde, quod longus decubitus super spinalem medullam & venam, & arteriam magnam per eam excurrentes, & ipsos Renes mirum in modum calefaciat. Avic. 20. 3. *tract. 1. cap. 22.* Holler. in *Pract. cap. 63.* ex quo lo. Bened. Sinibald. in *sua Geneamthrop. opere quidem consummatissimo, lib. 2. tract. 2. cap. decimo.* & dixi alias ex Levino Lemn. *de Occ. nat. min. lib. 2. cap. 45.* & inter Iureconsultos ex Farinac. *de falsis. & simul.* Quæ cum ita sint quis inficiari jure potest, Aurelium aliquando fuisse impulsam ad coeundum? & si coire potuit, non est dubitandum quod potuerit generare, quod tanto magis verisimile est, quanto ad generationem non requiritur frequentatio coitus; sed satis est, ut unica vice mulier cognoscatur; ex unico enim coitu non solum fit generatio, sed interdum etiam multiplex generatio, cum videamus ex unico coitu geminos, & trigeminos nasci. Hippocr. in *lib. de Nat. Puer. m. 14.* & *lib. 1. d. Diet. m. 25.* Itaque non solum videtur hoc de facili potuisse succedere in casu nostro, sed mirandum esset, & miraculo adscribendum, si non succedisset.

Huc adjiciendum, quod Aurelius per aliquot menses ante obitum non modo melius se habebat, sed omni ex parte liber à doloribus saltem atrocioribus remanserat, & quod magis facit ad rem nostram, amplius non febricabat, ita ut videretur tantisper impinguatus, & seipso habitior, & coloratior, ut deponunt ipsi Medici examinati, & hoc multo magis comprobatur morbi successus, nam ex eo quod impetus humorum jam non fiebat ad articulos, partes ut pote ignobiliores, ad nobiliores, & vitæ maxime necessarias factus est, unde ipsum è medio sustulit; patet enim, attestantibus omnibus præcitis, quod quocumque humorum fluxus ad articulos inhibetur, evenit, ut factò impetu ad partem aliquam nobiliorem, ægrum male accipiat, & ut plurimum occidant, quæ potissima causa est, cur dolores articulares à Medicis magna cum cautela tractentur, neque solum in illis abstinere à medicamentis repellentibus, quæ nimirum valeant materiam retro repellere & prohibere, ne ad articulos labatur, sed etiam à siccantibus & roborantibus; nam roboratis articulis, fluentem materiam non amplius recipiant, & illa ad nobiliores partes ruit, & mala, quæ diximus, accersit; quod licet in Aurelio non

non habuerit locum, quia Medici illum curantes multum in ea re cauti fuerunt, unde nihil penitus eorum consilio ad levandos dolores, vel ad fluxionem minuendam & inhibendam, articulis applicuerunt, tamen per alios Testes constat, ipsum Aurelium ulum fuisse consilio, necio cujus, Chimici oleo salis ad inundandos ipsos articulos, ex quo quidem melius ex doloribus se habuit, & in postquam fluxionem minus frequentem fuit expertus, quæ causa tandem acceleranda mortis illi fuit, ex supra dictis.

Nec valent quæ contra opponuntur, & primo, quod Arthritici morbi, quibus Aurelius exercebatur essent maxima ex parte frigidi, & ad omne pejus à multa serosa, & aquea humiditate dependent, quæ apta nata est non solum vim generativam feminis extinguere, sed etiam ejusdem feminis stimulos ad ejus excretionem omni ex parte compescere, ut clare patuit in ipso Aurelio, qui, ut jam in confesso est, & ex proprio dicto, & ex Medicorum testimonio probatur, jam per annos nullo modo potuerat arrigere, aut ad venerem aliquo modo incendi, quæ quidem cum satis evidenter sint, frustra contrarium tueri rationibus contendimus, ubi enim sensus viget, inanis est omnis discursus, cum debeamus potius discursum ad ea, quæ sensus docet accommodare, non sensum ad eas quæ discursus dicere potest, etiam si maxime rationabilis esset. Non valent, inquam, hæc, nam licet negari simpliciter possit, quod Arthritis Aurelii a materia, & humoribus frigidis dependiam haberet, nam simpliciter à materia calida dependebat, ut in aliis evenit etiam absque miscela aliorum humorum, quia humor calidissimus cum possit esse tenuissimus, & facile ad articolorum cavitates absque ductu serositatis aut aquei humoris penetrare, tamen concessit etiam quod ab humoribus frigidis dependeret, vel saltem multam aqueam ac frigidam materiam adjunctam haberet, patet morbum per aliquot menses ante Aurelii obitum omnino remisisse, & sic concoctis, aut quomodocumque resolutis frigidis humoribus, remanente calore naturali ab iis contrariis libero, potuit ad pristina munia facili negotio redire, & ut solet, cum vegetus est, Aurelium

ad feminis excretionem irritare, ut realiter successit.

Sed ex abundantia Arthritis, qua detinebatur Aurelius erat summe calida, & ab humoribus calidissimis simul & tenuissimis dependiam habebat, quippe cum doloribus conflaretur acutissimis; & articuli cito rubescerent, & calore adeo intenso inficerentur, ut ad susceptionem non declinaret; quin etiam brevium dierum spatio humores resolvebantur, & articulos, quos primo obfede-rant, omnino liberos relinquebant, ad alios proximiores se conferentes, & eos per torridum dies ad summum molestantes, tandem facili negotio evanescebant; quod nequaquam evenisset, ubi aut natura frigidis fuissent, aut saltem multam pituitosam vel quomodocumque frigidam materiam habuissent commixtam, ut aliis evenire indies observamus.

Sed ad hæc ipsa apponebant Adversarii, quod iidem dolores articulares etiam à calidissimis humoribus originem trahant, nullamque materiam frigidæ admixtionem habeant, tamen ratione vehementiæ & acutiæ, quam sortiuntur, multa symptomata accersunt, ut vigiliis, & debilitates, quæ coctiones impediunt, & calorem nativum, & consequenter semen, & ejus generativam virtutem labefaciunt, atque extinguunt; quamobrem etiam si ob caloris vehementiam, ex qua sanguis & semen majorem acutiem acquirunt, Arthritis ad Venerem stimulentur, & aliquando illam strenue exercent (summo tamen cum eorum detrimento) infecundi tamen omnino sunt ex prædictis.

Verumenimvero neque semper, neque in omnibus hæc vera sunt, cum ipsa experientia constet, Arthriticos plurimos Venerem exercere, & semen fecundissimum ferre, ac quoad Veneris stimulos non est dubium, ut superius jam dictum est, & quoad fecunditatem etiam plures adduci possunt experientia, & plura Doctorum Virorum testimonia, ex quibus pro conclusione dici potest, Aurelium potuisse non concumbere solum, sed etiam generare, nullamque ex morbo, quo detinebatur infecunditatis præsumptionem desumi posse, & sic injuste omnino dubitari de Artemisiam pudicitia, aut de partus suppositione.

Vicituria Alfana cum septimestrem fetum gereret ex sella quadam elatiori surgens, in terram ex improvviso cecidit, & fetum abjecit, & in repentinum sanguinis fluxum, ac tam insignem incidit, ut inde frequenter animo liqueretur, & frigidis sudoribus respergeretur, ac videretur jam animam pene exhalare. Vocata obstetrix præter ligaturas, & alia nonnulla leviora, propinat Puerperæ pulverem Chermes cum ovo crudo, & cucurbitulas mammis adhibet, quibus remediis fluentem sanguinem de repente cohibet. Sed puerpera inde in acutam febrem labitur, & cum neque iterata sanguinis missione, neque aliis ulla remediis puerperia ad conserutum cursum revocari possent, duodecima à partu die, vitam obit. Accusata obstetrix, in carcerem conjecta, ac quæsitum est, an condigna poena esset multanda, cum menstruum cohibito ab ipsa per vim procurata, febris & mortis causa crederetur. Ac visum est mitius cum ea agendum; non obstantibus iis, quæ pro Fisco adducebantur. & Primo,

## SVMMARIVM.

- 1 In medendo suam capacitatem prætergredi, culpa non vacat.
- 2 Obstetrix non possunt quicquam parturientibus, aut gravidis per os præbere.
- 3 Chirurgi, obstetrix, & alii in casibus difficilioribus Physicum convocare tenentur, alias puniendi.
- 4 Syncopis quam formidabile symptoma.
- 5 Mors nihil aliud est, quam syncopis confirmata.
- 6 Medenti satis est omnia cum ratione facere.

**Q**UOD omnino culpa non vacat in medendo suam capacitatem prætergredi, ut late probatum alias est in *Quæst. Medico-Leg. lib. 6. q. 1. m. 24. ubi quæst. 2. m. 19. & seq.* dictum quoque est, semper malitiosam esse prætergressionem eorum, quæ à superiori Artifice præcipiuntur à minori factam, & *quæst. 9. m. 11. & seq.* determinatum est, Obstetrixes omnino esse multandas, cum quicquam per os exhibere audent, quod ampliandum procedere etiam non secuto inde aliquo effectu in præjudicium assumptis, unde tanto magis procedere debet non solum secuto aliquo malo effectu in præjudicium assumptis, sed etiam ipsa morte omnium malorum pessima, ut in casu nostro, in quo manifeste patet ex assumptione medicamenti illius multa adstrictione conspicui, sanguinis fluxum de repente, ac cum violentia fuisse cohibitum, atque inde febrem acutam accensam, unde postmodum præpropere mors secuta. Venit ergo Obstetrix hujuscæ temeritas rigorosè punienda, cum ex ejus temeritate ægra certo certius perierit.

Secundo, tanto magis multanda videtur hæc obstetrix, quanto promptiori cum audacia medicum convocare neglexit, nam hoc non modo in Obstetricibus habet locum, sed etiam in ipsis Chirurgis, (nisi simul & Physici sint) qui multo magis artem medendi calleat, quam ipsæ obstetrixes; ad hoc enim juramento obstringuntur, & eorum licentia in medendo hac cautione limitatur, ut in casibus difficilioribus, in quibus Physici opera requiritur, illum convocare teneantur. Quanto magis ergo ad hoc obligari Obstetrixes dicemus, quæ nulla medendi capacitate, sed temeraria promptitudine dotantur & nulla ratione, sed per accidens omnia exequentur? At hoc quidem multo magis habet locum in casu nostro, non enim hic erat simplex partus, sed per violentiam procuratus, nempe à causa externa, à casu scilicet: & requirebat idcirco Physici, & artificis majoris curam, nam erat morbus complicatus, cum esset abortus, violento sanguinis fluxu conjunctus, & alia ex parte ex casu adesset partium contusio, unde etiam si per necessarium existimaretur sanguinem impetuose fluentem compescere, non minus tamen necessarium erat morbis qui aderant, & qui inde consequi poterant, & partium contusioni prospicere; prohibendi enim erant Tumores, & inflammationes, & corruptiones partium contusarum, & alia id genus: quamobrem non tanti faciendæ erat sanguinis illa evacuatio etiam copiosissima, quia poterat pro remedio, & prohibitione morborum esse, qui timeri in eo affectu poterant, unde non debebat tam de repente, ac tanta cum violentia supprimi, etiam si inde mulier animi deliquium incurreret, subveniri namque poterat aliis ingeniis, aut si sanguis cohibendus erat, placide

& sensim erat cohibendus, ut Medicus fecisset; sed hæc prætergrediebantur Obstetricis capacitatem; unde innata muliercularum audacia manum ad medendum admovit, spreto omni Medicorum consilio, & ægram è medio maxima cum sua culpa sustulit.

Et tanto adhuc magis hæc obstetrix in culpa videtur, quanto satagentibus domesticis puerperæ Medicos convocare, ipsa eorum adventum non expectaverit, sed puerperæ pene invitæ (licet ab aliis mulierculis, & ancillis ad assumendum quod porrigebatur adhortaretur) pulverem illum ex Chermes propinaverit cum ovo crudo & cucurbitulas, quod multo gravius est, mammis applicerit, nam ipsa puerpera, nolebat quicquam absque Medici, cui multam fidem habebat, præsentia, & consensu, assumere; sed adhortante Obstetricæ, & certam inde salutem promittente, tandem assumpsit, & licet ab assumptione vires tantisper recuperaverit, & ipsa eadem falsa sit, pulverem illum sibi sanitatem restituisse, tamen non multo post cognovit & ipsa, & affidentes ex pulvere illo, & applicitis cucurbitulis febrem validam & acutam fuisse constitutam, non nisi post unam, aut alteram horam, purgationibus omnino, ac dicto citius amplius non fluentibus, ex quo puerpera tota horrefcens, ingenti deinceps æstu totum corpus affligi sensit, tanquam si in ignis fornacem, ut illa inculcabat, fuisset projecta; nimirum quia ipse idem sanguis retentus per violentiam calorem præternaturalem concepit, & febrem acutam accendit, unde tandem mors; nam & inflammationem in contusa parte interius concitavit, cui summo remedio erat sanguinis illa etiam violentia excretio, ut dictum est, & ut à posteriori patet, quia repressa illico inflammationem excitavit.

Sed dato etiam, ut ex adverso dicitur, quod liceat Obstetricibus aliqua familiaria medicamenta parturientibus, & cæteris mulieribus per os exhibere, & concessio in hoc nullam intervenisse culpam, applicatio tamen cucurbitularum nimis audacter facta dici debet; & nullo modo liceat eas adhibere, quia non poterat Obstetrix ea comprehendere, quæ in hoc casu aut admittere, aut prohibere cucurbitularum applicationem poterant, cum hoc esset remedium magnum, & extremum & violentum, quo nullo modo, nisi summa urgente necessitate, & magna cum cautela esset prudentissimus, & perspicacissimus Medicus usus esset, timentur enim semper ex subita, ac violenta sanguinis cohibitione, quæ ad amissum in hac puerpera successerunt, hoc est febris acuta, inflammatio interna, & mors, immo etiam mors subita, ac repentina; ergo ad cohibendam cæterarum muliercularum perniciosissimam humano generi audaciam, ex qua indies mille mala, ac gravissima pericula illi impendent, ut illis hæc pro exemplo sit, videtur magno cum rigore puniendæ.

His tamen non obstantibus visum est magis secundum justitiam fore, si cum hac muliere mitius agatur. Primo, quia res erat in incipiti, & indigebat subitaneo ac repentino auxilio, alias si mora ulla intercessisset, & Medicum advocatum expectassent, cum jam puerpera animo liqueretur, & frigidis, ac tenuibus sudoribus, ut moriturus de proximo evenire solet, respergeretur, certe animam exhalasset, quia fortis syncopis superveniebat, quæ adeo formidabile symptoma est, ut hominem illico de medio tollat, quia syncopis fortis præcedit quamcunque

cunque mortem, & nulla mors accidit nisi superveniente syncope, unde mors nihil aliud est, nisi syncopis confirmata, cum sit dissolutio nexus naturæ, ut Aretæus dicebat Acutor. *lib. 2. cap. 3.* quis ergo tam à ratione alienus existat, non permittat in simili casu mulieri jam multæ experientiæ in arte obstetricia aliquid machinari? nam etiam si cum his remediis certo certius perire debuisset, tamen mors per ea retardari poterat, quod satius multo erat, quam de repente mori tum ob corporis, tum ob Animæ salutem, quod enim de repente tunc mortua esset Puerpera satis ostendebant signa, ipsam mortem de proximo futuram attestantia, nimirum animi defectus, virium resolutio, corporis refrigeratio, sudatione tænes, & frigida circa caput, & pallida mortis imago, quæ in dissolutione ipsa animæ à corpore apparent.

Sed tanto magis hæc licuisse dicendum huic obstetrici, quanto remedia, quibus usa est, sunt remedia maxime experta, usualia, ac tuta, nam quoad ipsum Chermes propinatum patet quotidie ipsas Obstetrixes passim eo uti, immo etiam absque Obstetricis consilio ipsas prægnantes mulieres ex se illud assumere ad inhibendas menstruas purgationes, quando ex his abortus timetur, & ad ipsum foetum roborandum, ac retinendum, cum ad hoc valde efficacæ sentatur, neque habeat secum qualitatem aliquam, ex qua sinistram quid pertimeri possit, nisi adstrictionem, quæ in similibus casibus est necessaria. Neque Ovum crudum habet ullum in se vitium, innoxium enim omnino est, & datur in hoc casu ad augendam adstrictionem, & inersandum sanguinem fluentem; sed ab eo absque dubio nihil est, quod timeri possit ullum damnum potuisse mulieri emanare.

Remanent tantum cucurbitulæ mammis applicitæ, quæ cum violentia quadam sanguinem ab utero retrahunt, & videtur quidem hoc remedium capacitatem ipsarum Obstetricum superare; quia tamen est remedium in hujusmodi casibus approbatum, & ab Hippocr. ipso canonizatum *Aphor. 50. section. 5.*

dummodo tempore debito, & morbo illud repente, in usum trahatur, temerarium dici non potest, sed rationabiliter ab Obstetricæ fuisse applicitum, cum enim morbus esset extremus, requirebat remedium magnum, & extremum juxta ejusdem Hippocratis præceptum *lib. 1. Aphor. 5.* & pereunt mulieri succurrere debebat non tantum Obstetrix experta, sed quævis etiam ignarissima persona, si quicquam in ejus salutem machinari poterat. præterquam quod hoc non erat remedium requirens ullam corporis & humorum præparationem, aut purgationem, aut aliud quid, quod illud præire debuisset.

Et ad ea, quæ in contrarium allata sunt, negatur Primo, quod obstetrix suam capacitatem prætergressa fuerit, quia hoc ipsum remedium inter ea est, quibus obstetricibus (uti ubi opus fuerit) permittit Mercurius in *lib. illa Comm. lib. 2. cap. 32.* Quod vero non possit quicquam per os exhibere saluum quoque est, nam nonnulla hoc ipso remedio multo efficaciora, ac validiora idem Mercurius ibidem concedit Obstetricibus exhibere posse suis mulieribus, in casu maxime necessitatis, ut hic erit, nam & in hoc ipso morbo ipse idem Mercurius hæc Obstetricibus permittit. Quod vero Medicum non expectaverit, non est ipsius Obstetricis culpa, sed morbi, qui non dabat inducias, nam interim poterat Puerpera perire, tot, ac tantis symptomatibus conflictata. Reliquis vero quæ opponuntur ex prædictis satisfactum omni ex parte est. Quamobrem non modo neque accusanda, neque puniendæ est nostra hæc Obstetrix, sed multum laudanda, quæ sciat in repentinis, ac dubiis casibus rationabilia remedia adhibere; nam etiam si mors post hujusmodi remediorum usum sit secuta, non ex eorum violentia, sed ex malo corporis statu secutam esse dicendum est. Satis enim est medenti, si omnia cum ratione faciat, dummodo enim cum ratione operetur, de aliis curare non debet juxta id, quod docet. Hippocr. *lib. Aphor.*

CONSILIVM XXV,  
ARGUMENTVM.

Nicolaus Copernis à cæna cum sorore propria celebrata, cum affluenter comidisset & bibisset, in profundum somnum, & stertorem lapsus est, à quo nec ab adsstantibus, nec à quoquam ullo ingenio excitari potuit, quousque post horam à cæna vigesimam quartam, à somno excitatus quidem est, sed nec ad rem loquebatur, nec quemquam familiarium cognoscebat, admodum impotens tum videbatur, non tamen ullo membro remanserat impeditus: ad mentem tamen nunquam rediit, sed vix anno transacto Apoplecticus perierat. Irepererat apud Fiscum suspicio venenationis, quæ maxime cadebat in præmortui Nicolai sororem Luciam nomine, quæ marito jam à nonnullis annis orbata cum fratre convivebat. Præteudebatur ergo à Fisco illam venenum soporiferum in medicato vino fratri porrexisset, ut tutius de nocte cum Amasico commorari posset. De ejus autem invincibilitate Fiscus erat persuasus, unde ex hoc contendebat; Nicolauum ex medicamenti venenati violentia primo in somnum, ac dehinc in fatuitatem lapsum, ac denique vitam obiisse. Pro veritate ergo interrogatus in eam sententiam veni, Nicolauum ex Ebrietate in soporiferum affectum, & inde in Apoplexiam cecidisse, & ab hæc recollectus in fatuitatem, ac tandem in Apoplexiam relapsum è medio sublatum, neque verisimile esse, ex vi soporiferi aut venenati medicamenti perisse.